



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XII. Proponitur, & firmatur contraria Sententia tenenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

præmium, etiam pro tunc non habet jus ad gloriam; nos autem solum dicimus, quam citò homo dignificatur, ut habeat jus ad gloriam, tam citò dignificari contritionem ad promerendam ipsam gloriam, cum dignificatio contritionis sit formaliter dignificatio subiecti; sicque non potest prius intelligi homo habens jus ad gloriam, quam intelligatur dignificata contritio, ut si aliud non obstat, possit de condigno mereri ipsam gloriam.

206. Oppones 3. Contritio, qua homo iustificatur, non procedit effectivè à gratia habituali, utpotè quam præcedit ut ejus dispositio; sed meritum condignum debet esse, & procedere à gratia; ergo contritio non potest esse condignè meritoria primæ gloriæ. Respondeo hujusmodi contritionem non procedere effectivè à gratia habituali, procedere tamen ab actuali, seu influxu Spiritûs sancti, & esse simul in eodem instanti cum gratia habituali dignificante subiectum, quod satis est, ut sit condignè meritoria primæ gloriæ.

207. Oppones 4. Actus hominis non est condignè meritorius ex perfectione sibi extrinsecus adveniente, sed ex illa, quam in se habet dum ab homine fit; atqui contritio, quæ est ultima dispositio ad gratiam, prout fit ab homine non est in se melior pro secundo instanti naturæ, quo informatur gratia habituali, quam in primo, in quo nondum formata est; nam si aliqua perfectio illi additur per infusionem gratiæ habitualis, tota provenit à solo Deo, ipso homine passivè tantum se habente quoad illam partem; ergo id non satis est, ut talis actus fiat condignè meritorius primæ gloriæ.

208. Respondeo gratiam habitualement supervenientem contritioni non augere quidem ejus bonitatem, neque meritum quoad proportionem, quam ipsa contritio habet cum tali præmio; augeri tamen perfectionem ipsius meriti in ratione condignitatis, & obligandi ex debito justitiæ, quatenus constituit personam in statu capaci talis condignitatis ad præmium; ad quod non opus est, quod homo novam cooperationem habeat, ut hanc gratiæ condignitatem recipiat, sed sufficit ejus prior operatio, quam habuit, disponendo se ad illam cum auxilio gratiæ, ut, obtentâ gratiâ habituali, eidem dispositioni accrescat dignitas, & efficacia merendi gloriam.

209. Oppones 5. Si contritio illa augeretur in valore merendi per informationem gratiæ advenientis, potius mereretur augmentum gratiæ, quam primam gloriam: Primò, quia Trid. cit. universaliter dixit, justos per bona opera ex gratiâ facta mereri augmentum gratiæ: Secundò, quia contritio immediatius refertur ad gratiam, quam ad gloriam, & habet cum gratiâ propinquiorē proportionem: Tertiò, quia homo ille jam habet jus ad primam gloriam per primam gratiam; ac proinde si potest de novo condignè mereri, potius intendit ultra tendere ad promerendum novam aliud præmium, sive hoc sit novum augmentum gratiæ, sive gloriæ; sed homo per illam contritionem non meretur, neque primam gratiam, neque illius augmentum; ergo neque primam gloriam, neque ejus augmentum.

210. Respondeo negando majorem, ad cujus primam probationem dicimus, Trid. quando dicit, justos per sua bona opera ex gratiâ facta mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & gloriæ augmentum, intelligendum esse, non de quocunque bono opere, ita ut homo justus per quodcunque bonum opus omnia illa mereatur, sed ita ut per aliquod mereatur unum, & per aliud mereatur

Tom. 2.

aliud. Ad secundam probationem dicimus, contritionem secundum se, & prout non est formata, respicere immediatè gratiam per modum dispositionis; prout autem est jam formata, respicere immediatè gloriam; siquidem sub hac ratione jam supponit gratiam, à qua habet vim perfectè merendi; & non respicit augmentum gratiæ, quia est tali præmio improporionata. Ad tertiam probationem dicimus, ut patet ex supra dictis, hominem per gratiam habere quidem jus ad gloriam, ut hæreditatem; posse tamen adhuc illud habere per contritionem formatam ad eandem gloriam, ut coronam. Hæc sententia, ut patet ex autoritate Doctorum, ex rationibus, & ex argumentorum solutionibus, est satis probabilis: Adhuc tamen sit:

SECTIO XII.

Proponitur, & firmatur contraria Sententia tenenda.

211. **S**ECUNDA sententia, quam sequimur, negat, primam gloriam primæ gratiæ iustificanti respondentem cadere sub meritum de condigno: seu hominem per contritionem, quæ se disponit ad primam gratiam, etiam pro secundo signo dignificatam per ipsam gratiam, mereri de condigno primam gloriam. Ita Paludan. in 4. dist. 14. q. 3. Gabr. ibid. quest. 1. art. 2. conclus. 5. Greg. in 1. dist. 17. quest. 5. art. 2. Ovand. Proposit. 8. Almain. q. 2. ad finem. Philiar. de Prædest. cap. 12. Ruard. art. 9. Vega lib. 6. in Trid. cap. 28. & de iustificat. q. 6. ad 9. Lorca 1. 2. q. 114. d. 49. dub. incid. Aragon. 2. 2. q. 2. art. 9. P. Marat. tract. de Grat. d. 15. sect. 2. P. Lugo tom. 1. in 3. p. d. 6. num. 59. P. Bellarm. lib. 5. de iustificat. cap. 20. quos citat, & sequitur P. Ripal. tom. 2. d. 89. sect. 1. n. 4. P. Compton. tom. 2. d. 126. sect. 9. n. 5. & probabilissimam dicit P. Arriaga cit. n. 44.

212. Probatur primò, quia contritio, cum sit dispositio ad primam justificationem, non potest esse condignè meritoria primæ gloriæ, quin per ipsam gratiam infusam in eo instanti, in quo contritio elicitur, dignificetur; sed contritio non potest per ipsam primam gratiam dignificari; siquidem gratia dignificans actum, debet illum, saltem in priori naturæ antecedere, ut supra diximus d. 3. à num. 371. non autem subsequi, ut gratia illa subsequatur contritionem posterioritate naturæ ut dispositionem præviā ad ipsam justificationem; ergo contritio non potest esse condignè meritoria primæ gloriæ.

213. Confirmatur primò, quia ut omnes fatentur, & desumitur ex Trid. sess. 6. cap. 7. & can. 3. Deus non infundit gratiam in instanti, in quo homo convertitur, nisi prævisâ ejus conversione, seu contritione ut dispositione præviā, ac merito de congruo illius; ergo ipsa infusio gratiæ supponit contritionem jam elicitam, existentem, & supponentem suum totale principium, & cum tota libertate, & laudabilitate ipsius; ergo gratia superveniens, licet hominem dignificet ad alios actus subsequentes, tardè venit ad dignificandam operationem, si ve contritionem antecederet exercitam, & adæquatè existentem, eamque reddendam condignè meritoriam primæ gloriæ.

214. Confirmatur secundò, quia eadem gratia secundum suum primum esse reale non potest esse prior, & posterior naturâ respectu ejusdem contritionis secundum suum primum esse reale; sed

LII

prima

prima gratia est posterior naturâ contritione; siquidem infunditur post illam, & dependenter ab illa; si autem illam dignificaret, esset naturâ prior, utpote quæ completeret principium ipsius contritionis dignificatæ; implicat verò esse prout sic priorem, & posteriorem respectu ejusdem effectus; ergo &c.

215. Probatur secundò, quia id, quod jam est debitum aliquo titulo, non potest ulterius promereri de condigno, saltem secundum providentiam ordinariam; sed, infusâ primâ gratiâ, jam illi debetur prima gloria, ut hæreditas, quæ supponitur jam decreta ex vi connaturalitatis ipsius gratiæ, & ratione cujus homo jam est acceptatus ad primam gloriam; ergo saltem de facto, & secundum providentiam ordinariam, non potest eadem prima gloria esse præmium alicujus meriti de condigno.

216. Probatur tertio, quia si prima gratia in ipso instanti conversionis infusa dignificaret contritionem ad promerendam de condigno primam gloriam, etiam posset dignificare eandem contritionem ad promerendum augmentum gratiæ, imò & gloriæ tali augmento gratiæ correspondens, cum non detur major ratio; sed hoc non est admittendum; alioqui hoc augmentum gratiæ posset etiam dignificare eandem contritionem ad aliud augmentum gratiæ, & gloriæ, & hoc ad aliud, sicque in infinitum; consequenterque eadem contritio pro eodem instanti esset condignè, meritoria infinitæ gratiæ, & gloriæ, ut patet ex supra dictis d. 3. à num. 373.

217. Probatur quartò, quia gloria, quam contritio meretur de condigno in primo instanti justificationis, aut est illa, quæ respondet primæ gratiæ, ut hæreditas; aut alia ei superaddita: Non primum; siquidem ex providentia ordinaria non tribuitur per meritum id, quod alio titulo independentem à merito debetur, ut supra diximus num. 215. Non secundum; alioqui posset etiam de condigno mereri aliam gratiam: tum quia in proposito eventu eadem prorsus esset ratio de merito condigno augmenti gratiæ, ac gloriæ: tum etiam quia non possumus mereri gloriam, nisi promerendo gratiam, cui respondeat; ergo contritio nullam gloriam meretur de condigno.

218. Dicent, primæ gratiæ deberi, & decerni gloriam quoad intentionem independentem à merito, non verò quoad executionem; sic enim iustis intenditur gloria ante merita, sed mandatur executioni post merita. Sed contra, quia Deus non expectat meritum ad decretum executivum doni, quod aliàs independentem à merito debitum est; sic enim Christus Dominus ex providentia ordinaria non potest mereri quoad executionem potentias corporeas, & gloriam corporis: gloria autem debetur primæ gratiæ, etiam quoad executionem, independentem à merito titulo hæreditatis; sicut debetur primæ gratiæ parvulorum: at verò in gloriâ intentâ prædestinato ante merita, & executioni mandatâ post merita, est longè diversa ratio; siquidem ante illud decretum intendens non competit prædestinato aliquis titulus sufficiens movere Deum ad decretum exequens gloriæ seorsim à merito, qualis competit justificato titulo hæreditatis.

219. Probatur quintò, quia si prima gratia dignificaret contritionem ad meritum condignum gloriæ, dignificaret etiam attritionem in Sacramento ad meritum condignum ejusdem gloriæ; siquidem cum sufficiat, gratiam unius actui pro eodem instanti reali, licet sit illo posterior naturâ, gratia au-

tem, si antecederet attritionem, illam dignificaret ad gloriam, etiam sic dignificabit, licet subsequatur; sed gratia non ita dignificat attritionem in Sacramento; ergo neque dignificabit contritionem extra Sacramentum. Probatur Minor, quia si attritio in Sacramento dignificaretur ad gratiam ad præmium gloriæ, elicitâ à peccatore, & existens in Sacramento solum moraliter, & non physice, mereretur de condigno gloriam; siquidem cum prout sic impetret, & disponat ad gratiâ, unita cum gratia habituali poterit condignè mereri gloriam; si enim ad causalitatem impetratoriam, & meritoriam de cōgruo, sufficit ejus existentia moralis, cur etiam non sufficiat ad meritoriam de condigno cum gratia habituali physice existenti, ubi nō obest gratiæ subsequentiæ? sed hoc à nullo Theologo debet admitti; alioqui omnes actus boni elicitî à peccatore, accedente gratiâ, fierent meritorii de cōdigno; ergo &c.

Argues 1. In sacra Pagina, non solum augmentum gloriæ, sed ipsa gloria secundum se totam promittitur ut merces, corona, denarius diurnus, & bravium, ut constat 2. Tim. 4. 8. ad Hebr. 6. 10. Jacob. 1. 12. Gen. 15. 1. Prov. 11. 18. Mat. 20. 8. & 13. & 1. Cor. 3. 8. & 14. & Jerem. 31. 16. & 1. Cor. 9. 24. & sæpe alibi; ergo non solum augmentum, sed ipsa prima gloria cadit sub merito de condigno. Respondet negando antecedens; solum enim promittitur absolutè gloria, & vita æterna, ut merces, corona, denarius, & bravium iis, qui post acceptam primam justificationem bene operantur; sicque hæc, & omnia alia Scripturæ testimonia possunt, & debent explicari de gloriæ augmento.

Et confirmatur primò, quia loca Scripturæ, cum sint generalia, debent extendi ad omnes adultos bene operantes; & tamen non omnes adulti possunt primam gloriam de condigno mereri; siquidem baptisatus in infantia, & postea jam adultus non amittens gratiam baptismalem per peccatum, non potest mereri de condigno primam gloriam: tum quia hæc jam fuerat decreta, & collata in infantia, ut hæreditas seorsim à merito proprio: tum etiam, quia opera subsequentiæ primam justificationem occupantur in promerendo augmento gratiæ, & gloriæ; ergo &c. Secundò, quia adultus, qui cum sola attritione in Baptismo justificatur; præsertim si nec attritio, nec alius actus bonus supernaturalis duret physice tempore Baptismi, non meretur de condigno primam gloriam, ut patet ex supra dictis num. 219. & Adversarii fatentur; ergo sicut prædicta testimonia Scripturæ restringenda sunt in his eventibus, ita etiam in terminis propositæ quæstionis, ita ut, non de prima gloria, sed de illius augmento intelligantur.

Argues 2. Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. absolute tradit, *Iustis proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filiis Dei per Christum IESUM misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex Dei promissione bonis operibus reddendam.* Et infra. *Iustificatis nihil deesse credendum est, quominus bonis operibus vitam æternam promerantur.* Et sess. 6. can. 32. *Si quis dixerit, iustificatum bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Ubi Concil. aliter loquitur de gratiâ, & aliter de gloriâ; siquidem non dicit, iustum mereri gratiam, & gratiæ augmentum, quia hoc, & non prima gratia cadit sub merito, ut supra diximus: de gloriâ autem dicit, non solum mereri augmentum gloriæ, alioqui videretur excludere à merito primam gloriam, sed dicit mereri vitam æternam, in

in qua includitur prima gloria, & etiam gloriæ augmentum; ergo &c.

223. Respondeo primò, citata testimonia Trident. etiam ab Adversariis solvenda esse, nam, ut supra diximus, qui nunquam amisit gratiam baptismalem; & qui cum sola attritione baptizatus fuit, quin hæc, aut alius actus bonus supernaturalis physice existeret tempore Baptismi, non possunt mereri primam gloriam; ergo aut Concilium non loquitur de prima gloria nomine *vita æternæ*; aut si intelligitur de prima gloria, talibus adultis non potest proponi vita æterna tanquam merces, utpotè quam non merentur de condigno, cum tamen dicat omnibus iustis proponendam esse vitam æternam tanquam mercedem bonis operibus reddendam. Igitur:

224. Respondeo secundò, Concil. Trid. aperte loqui, non de opere, quo se homo disponit ad primam justificationem, qualis est contritio, sed de operibus factis post primam justificationem: Primò, quia ibidem ait, *iustificatos hortandos esse Apostoli verbis, ut abundent in omni opere bono*; ergo loquitur de solo augmento gloriæ. Secundò, quia *can. 32.* cui maxime fidunt Adversarii, agit Trident. de operibus, quæ merentur de condigno augmentum gratiæ; sed huiusmodi opera non ita merentur primam gloriam; hæc enim præsupponitur debita primæ gratiæ, quam talia opera præsupponunt, cum ex illa dignificentur; ac proinde etiam ipsam primam gloriam præsupponunt debitam; ergo non loquitur ibi de prima gloria. Tertiò, quia si Concil. *can. cit.* loqueretur de opere disponente ad primam justificationem, sequeretur, contritionem mereri de condigno, non solum primam gloriam, sed etiam ejus augmentum, imò & augmentum gratiæ; siquidem Concil. in eadem ratione meriti comprehendit augmentum gratiæ, vitam æternam, & augmentum gloriæ; sed ibi non ponit augmentum gratiæ, & gloriæ ut præmium condignum contritionis; ergo neque vitam æternam, siue primam gloriam.

225. Hinc igitur patet, sensum Concil. esse locis citatis, iustos per actus bonos elicitos post primam justificationem mereri de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, & hoc augmentum gloriæ independentè à prima præcedente, esse, & dici absolute vitam æternam; alioqui, qui nunquam amisit gratiam baptismalem, non posset mereri vitam æternam, prout supra diximus. Ratio autem, cur Trident. cit. non dicit *gratiam*, & *augmentum gratiæ*, sicut dicit *vitam æternam*, & *augmentum gloriæ*, hæc est, quia iustus non potest de condigno mereri gratiam absolute, cum non possit mereri primam, ut supra diximus, sed tantum ejus augmentum; nam si non præcedat gratia absolute, non dabitur meritum de condigno: at verò merendo augmentum gloriæ, meretur absolute vitam æternam, & gloriam; licet enim non præcederet alia gloria, quæ dicitur prima, & est à Deo decreta homini ob primam gratiam, adhuc homo merendo illam gloriam, quæ dicitur gloriæ augmentum, diceretur mereri de condigno vitam æternam; imò & primam gloriam, non correspondentem primæ gratiæ, sed operi elicitò post justificationem.

226. Instabis: Quando Concilium definit, iustos per sua bona opera mereri de condigno vitam æternam, posuit ibi: *vitam æternam*, & *augmentum vite æternæ*; ergo primo loco voluit significare primam gloriam, & in secundo illius augmentum; alioqui inutilis esset talis repetitio. Respondeo negando consequentiam, & ejus probationem; vo-

Tom. 2.

luit enim Concilium declarare vim rigorosam meriti condigni, quod scilicet, eo ipso, quod dignificetur à gratia, licet non supponeretur jus ad vitam æternam, eam mereretur; cum tamen supponat jus ad illam, meretur illius augmentum; sic enim aliquando ad majorem emphasim solemus dicere: *iste homo est doctus, & doctissimus*, cum tamen in termino *doctissimus* includatur *doctus*. Patet ex eodem Concilio, quod cum dixisset vitam æternam, addidit, & ipsius vitæ æternæ consecutionem; cum tamen mereri vitam æternam, & mereri illius consecutionem sit idem.

Argues 3. Ex hac sententia sequitur: Primò, aliquos adultos salvari, & consequi vitam æternam sine propriis meritis, si videlicet immediatè post contritionem elicitam moriantur. Secundò, nullum hominem consecuturum totam gloriam ut coronam justitiæ; siquidem nullus meretur primam gloriam; sed primum repugnat Scripturæ, & Trident. secundum autem est contra communem modum loquendi Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum; ergo &c. Respondeo sequelas appositas etiam esse contra Adversarios, qui fatentur, & tenentur fateri: Primò, adultum baptizatum cum sola attritione, quæ physice non durat tempore Baptismi, non recipere primam gloriam ut coronam. Secundò, totam illam gloriam, quæ datur adultis ex vi gratiæ illis collatæ ex opere operato virtute Sacramentorum, non habere rationem coronæ, cum non detur ex meritis propriis, sicut neque gratia illis correspondens. Tertiò, adultum, qui conservavit gratiam baptismalem, non posse mereri primam gloriam, ut coronam. Quartò, eundem, si moriatur immediatè postquam pervenerit ad usum rationis, consecuturum gloriam sine propriis meritis; quod etiam fatendum est in primis duobus casibus, si immediatè post Sacramentorum susceptionem moriantur; quod igitur ipsi responderint, & nos respondebimus.

Accedit, nullum esse absurdum, quod gloria quoad omnes suos gradus à primo usque ad ultimum non sit merces, & corona; siquidem Deus fecit illam hereditatem gratiæ, quam absque merito condigno obtinemus, prout supra diximus: quoad substantiam tamen, & absolute dicitur gloria, merces, & corona, quia major pars graduum illius confertur iustis propter merita.

Inferes: Ergo cum major pars gratiæ habitualis concedatur iustis tanquam meritum præmium, dicitur etiam eis tradita tanquam merces, & corona; hoc autem nomen soli gloriæ tribuunt sacre Litteræ, & Sancti Patres; ergo &c. Respondeo negando illationem, quia gloria est ultima beatitudo nostra, quæ omnia coronat merita, & in quam illa tandem promovent merentem, cujus spe provocamur ad agendum, & cujus emolumentum, & commodum à remunerante præcipue promittitur, & intenditur; est enim beatitudo, & felicitas prima hominis merces, & corona, ut dixit Aristotel. lib. 1. Ethicor.

Argues 4. In instanti, quo elicitur contritio, infunditur gratia, & cum illa habitus charitatis, sicut & alii aliarum virtutum, tanquam ejusdem gratiæ proprietates; sed habitus charitatis in instanti, quo infunditur, operari potest; siquidem omne agens in instanti, quo producit, est operativum, imò & actu operatur, si est agens necessarium; cum autem habitus charitatis sit agens necessarium, & non impeditum, in instanti, quo producit, est operativum

L 112

rativum

rativum, & de facto operatur, & agit in contritionem; ergo gratia, mediante tali habitu, in eo instanti producit contritionem, saltem per accidens; ac proinde cum ipsam contritionem antecedit, potest illam dignificare, & efficere meritoriam de condigno.

231. Respondeo habitum charitatis, licet in eodem instanti, quo infunditur, sit operativus, non esse tamen operativum in eodem instanti, saltem realiter, & modo ordinario ejusdem contritionis, utpote quam supponit antecedentem tanquam gratia, & sui dispositionem; idem enim datur gratia, & habitus charitatis, quia datur contritio; non tamen è contra. Unde habitus ille ad summum poterit producere alium actum, non tamen illum, qui cum natura antecedit, ut ejus dispositio; sic enim forma ignis, licet sit causa necessaria, & possit in instanti, quo producit, producere calorem in alio passo, non tamen potest producere in propria materia calorem illum, quem præsupponit ut dispositionem ad sui productionem. Additur, quod habitus, licet non fiat in se principia libera, nihilominus subordinantur voluntati liberè se determinanti; hæc autem determinatio voluntatis circa contritionem eliciendam jam supponitur, quando producit habitus charitatis, cum jam supponatur ipsa contritio; sicque nequit ex arbitrio voluntatis ad illam concurrere, licet possit concurrere ad alium actum, vel ad contritionis conservationem pro instanti sequenti, de quo non est præsens quaestio.

232. Instabis: Si in instanti, quo ferrum calidum ut quatuor producit in ligno primum gradum caloris, ipsi ferro addatur quintus gradus caloris, hic cum aliis quatuor concurret ut concausa ad eandem calefactionem ligni. Item si in eodem instanti, quo gratia adjuvans intensâ ut quatuor concurret in peccatore ad contritionem, superaddatur ipsi gratia quintus gradus, hic cum aliis quatuor concurret ut concausa in eodem instanti ad eandem contritionem eliciendam; ergo etiam si in eodem instanti, quo gratia adjuvans elicit contritionem, infundatur habitus charitatis, hic simul cum ipsa gratia concurret ut concausa ad eliciendam contritionem in eodem instanti; sed in eodem instanti infunditur habitus charitatis; ergo in eodem instanti concurret ad contritionem; neque enim assignabitur aliquod impedimentum talis concursus.

233. Respondeo distinguendo antecedens: si ille quintus gradus superaddatur aliis in eodem instanti, & prioritate naturæ; concedo antecedens: si jam in prioritate naturæ supponat effectum productum; nego antecedens: siquidem jam illum invenirent productum pro toto illo instanti; sicque in eo non illum producerent modo connaturali: cum igitur habitus charitatis jam inveniat contritionem productam pro priori naturæ, non potest modo connaturali ad illam producendam concurrere in eodem instanti, quo producit.

234. Urgebis: Quando justus benè operatur cum potestate peccandi, actus bonus est dispositio, ut gratia conservetur; sicque est prior naturâ, quam gratia conservata: deinde est effectus ejusdem gratiæ, seu habitus cum illa connexi; ergo etiam contritio poterit esse prior naturâ, quam habitus, & tamen ab illo produci. Confirmatur, quia si Deus alicui justo imperet sub peccato gravi aliquem actum pro determinato instanti, & illum omittat, talis omisso erit peccatum mortale, & destructivum gratiæ; sicque actus ipse erit dispositio neces-

saria ad gratiæ conservationem; & tamen actus ipse se producit ab eadem gratia; ergo eodem modo contritio poterit esse dispositio ad gratiam, & ab illa produci. Ante solutionem:

Advertes, dupliciter posse justum operari liberè cum libertate ad peccandum: Primum, cum libertate immediata contrarietatis, ut quando immediatè se determinat ad actum bonum præ malo, si ve ad actum bonum, cum esset immediatè indifferens ad bonum simul, & ad malum: Secundò, cum sola immediata libertate contradictionis, ut quando prius se determinavit ad non peccandum, & postea positâ hac determinatione, cum solum esset indifferens ad actum bonum, vel illius omissionem, se immediatè determinat ad actum bonum, ita tamen, ut si se determinaret ad illius omissionem, non peccaret, quia actus, ut supponimus, non esset præceptus, in quo solo eventu illius omisso esset peccatum. His positis.

Respondeo, si justus se determinet ad actum bonum immediata libertate contrarietatis, talem actum non causari à gratia, cum sit dispositio ad illam; siquidem positâ libertate immediatâ ad actum bonum, vel malum, conservatio gratiæ dependet ab elicientia actus boni, ita ut si præ illo homo eliciat malum, peccet, & destruat gratia: unde cum talis actus sit antecedens ad conservationem gratiæ, nullo modo potest ab illa produci in eo instanti: at verò si justus se determinet ad actum bonum cum solâ immediatâ libertate contradictionis, tunc gratia poterit esse causa talis actus boni; siquidem ab illo non dependet, ut à sui dispositione, sed solum ab omissione peccati, quam ut dispositionem requirit ad sui conservationem; illa autem omissione talis actus non præcepti positâ, jam ipse actus subsecutus bonus non est dispositio, nam si ve eliciatur, si ve non eliciatur, homo non peccat, cum non teneatur actum elicere, ut supponimus. Unde argumentum non habet vim, cum non assignet actum, qui sit dispositio ad gratiam, & ab illa producat in eodem instanti. Ad confirmationem dicimus, actum pro determinato instanti præceptum, non posse à gratia produci, cum esset dispositio necessaria ad ipsius gratiæ conservationem, sicque illam antecederet.

Replicabis: Hic actus præceptus, & actus ille, ad quem homo se determinaret cum libertate immediata contrarietatis, ut diximus, sunt actus antecedentes gratiam, cum sint dispositiones ad ejus conservationem; & tamen ab illa dignificantur; ergo etiam contritio, licet antecedit gratiæ infusionem, poterit ab illa dignificari ad primam gloriam. Hæc instantia tangit difficultatem, de qua jam supra d. 3. à num. 371. An scilicet gratia, ut dignificet actum meritorium, debeat illum antecedere, saltem prioritate naturæ? Ut facilius tamen, & ab hac instantia, & à toto argumento te expedias.

Respondeo dato, & non concessio, quod prima illa gratia possit dignificare actum contritionis, non illum dignificabit in ordine ad promerendam de condigno primam gloriam, de qua est quaestio, utpote quæ jam est homini decreta ex vi ejusdem primæ gratiæ, tanquam hæreditas, & ut talis ei debetur; quod autem est aliud debetum, non potest esse præmium meriti, ut supra diximus n. 27.

Inferes: Ergo poterit saltem prima gratia dignificare contritionem ad augmentum ipsius gratiæ, & etiam gloriæ, cum gloria de lege ordinaria augeatur ad augmentum gratiæ. Respondeo negando illationem; sequeretur enim etiam

etiam ex hoc gratiae augmento dignificari eandem contritionem ad aliud augmentum gratiae, & gloriae, & ex hoc ad aliud, sicque in infinitum, ac proinde unam, & eandem contritionem esse infinite meritoriam de condigno, eique infinitum primum correspondere, quod implicat, ut supra diximus n. 216.

240. Advertes tamen, licet contritio in instanti, quo elicitur, non possit dignificari à gratia subsequente in ordine ad promerendam ipsam primam gratiam, & primam gloriam ei correspondentem, nihilominus si homo perseveraverit pro sequenti instanti in ipsa contritione, posse tunc ipsam contritionem ut conservatam in secundo instanti dignificari ab ipsa prima gratia ad promerendum augmentum gratiae, & gloriae; siquidem prima gratia prout sic non subsequitur, sed antecedit contritionem ut conservatam, informat enim, ac dignificat hominem ut principium saltem morale talis conservationis, utpote quae independentem à conservatione contritionis existit antecedenter in subiecto: nunquam tamen prima gratia, neque in secundo instanti dignificabit contritionem in ordine ad primam gloriam obtinendam; siquidem haec, ut diximus, jam supponitur decreta ut hereditas.

241. Argues 5. Contritioni disponenti ad justificationem competunt omnes conditiones necessariae ad meritum condignum primae gloriae; siquidem est opus bonum hominis viatoris, liberum, supernaturale, & informatum gratia justificante, quae cum moraliter unitur in eo instanti; ergo &c. Respondeo negando antecedens; adhuc enim ei deficit: Primum, procedere ab homine jam justificato, sive à gratia habituali antecedente, quod esse necessarium ad meritum condignum diximus supra d. 3. à n. 371. Secundum, non esse connexam cum prima gloria alio titulo, quam meritorio; est autem connexa cum illa, ut hereditate, prout supra diximus.

242. Argues 6. Ex D. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2. ad 1. ibi: *Preparatio hominis, ait, ad gratiam habendam, quadam est simul cum ipsa infusione gratiae. Et talis operatio est quidem meritoria; sed non gratia, quae iam habetur, sed gloria, quae nondum habetur.* Ubimeritum, utique condignum, quod negat preparationi gratiae respectu ipsius gratiae, concedit eidem respectu gloriae. Idem videtur habere 1. p. q. 62. art. 4. Corpore, & q. 63. art. 5. ad 3. & 4. dum asserit, Angelos in primo instanti meruisse suam beatitudinem essentialem; ergo &c. Respondeo primum D. Thom. solum voluisse assignare discrimen inter gratiam, & gloriam, ut illa potius, quam ista remotior sit à ratione praemii actus disponentis ad justificationem, quatenus gratia suapte naturam supponitur ad meritum, tanquam principium meriti, & non ita supponitur gloria, & ob hanc rationem remotior est à merito condigno gratia, quam gloria, & admittit comparative ad gratiam, aptiorem merito esse gloriam.

243. Respondeo secundum D. Thom. differuisse de actu elicto in instanti justificationis pro posteriori naturae ad infusionem gratiae, qui ex natura rei potest esse meritorius primae gloriae, cum gloria possit solo titulo meriti decerni. Unde prae actum, qui antecedit, & disponit ad primam justificationem, & à gratia habituali non procedit, potest fieri alius actus in eodem instanti temporis subsequens ipsam justificationem, & à gratia procedens, cui meritum condignum gloriae tribuatur: quem actum D. Thom. vocat preparationem ad gratiam habendam, aut quia in eodem instanti preparationis existit; aut quia re ipsa ad eius aug-

mentum disponit, & simul primam gloriam simul cum ipsius augmento meretur, quantum est ex se; siquidem posset propter eius valorem retribui, si à Deo seorsum à merito non esset decreta, ut haereditas.

SECTIO XIII.

Aliquae difficultates de merito condigno primae gloriae proponuntur, & explicantur.

DIFFICULTAS 1. Utrum saltem contritio continuata post primum instanti justificationis, mereatur de condigno primam gloriam in secundo instanti? Negativè. Ita P. Ripal. tom. 2. d. 89. sect. 3. num. 14. contra P. Bellarm. P. Valent. P. Tanner. & alios supra cit. Probatur facile ex supra dictis, quia quod aliis est debitum, & annexum merenti seorsum à merito, non potest esse praemium operis; sed prima gloria est debita, & annexa merenti titulo hereditatis ratione primae gratiae in primo instanti justificationis collatae; ergo non potest deberi, sive mereri de condigno etiam per contritionem illam continuatam.

Difficultas 2. Utrum actus virtutis concomitans primam justificationem mereatur primam gloriam de condigno? Advertes, posse contingere, ut quis justificatus, praeter contritionem, aut attritionem (de qua infra) disponentem ad primam justificationem, eliciat actum religionis, aut alterius virtutis in eodem instanti, qui ad justificationem non disponat, informetur tamen gratia illius instantis, & de hoc dubitatur in praesenti; An per illum mereatur de condigno primam gloriam? Affirmant P. Vasq. & P. Merat. supra.

Negandum tamen sentio consequenter cum P. Ripal. cit. num. 16. Probatur, quia prima gloria, ut diximus, est annexa, & debita titulo hereditatis primae gratiae habituali seorsum à merito illius actus; ergo talis actus, aut solum meretur augmentum gloriae, sicut & gratiae, aut nullum praemium ei de condigno respondet. Confirmatur ex supra dictis d. 3. à num. 386. ubi soli gratiae justificanti antecedenti, non verò comitanti tantum tribuimus vim dignificandi, & augendi valorem condignum operis; ergo &c. Advertes tamen secus dicendum de actu, qui in eo instanti subsequeretur justificationem, & à gratia habituali procederet; siquidem talis actus mereretur augmentum gratiae, & gloriae, cum nulla ei conditio deficeret ad tale meritum necessaria.

Difficultas 3. Utrum gratia possit cadere sub meritum condignum seorsum à gloria: & gloria etiam seorsum à gratia? Affirmativè. Ita P. Ripal. tom. 2. d. 89. num. 17. & 18. Probatur prima pars, quia ut gratia justificanti infallibiliter conjungatur gloria, requiritur novus Dei favor; potest enim ex natura rei concedi gratia absque gloria futura; ergo potest gratia, sive prima, sive secunda rependi ex merito condigno, quin gloria, sive prima, sive secunda rependatur; licet id modò ex lege, & providentiâ Dei speciali sit impossibile.

Probatur secunda pars, quia cum gloria non sit ex natura rei annexa gratiae, potest Deus gratiam conferre, aut omnino gratis absque praevia hominis dispositione, aut ex merito congruo talis dispositionis, & gloriam decernere solum ex merito ab homine jam justificato procedente, quin eam